INNOCENTIUS 11. IN 12. REDIVIVUS ORATIO PRO INAUGURATIONE SANCTISS. DOM...

Marco De Rossi

[illegible]

INNOCENTIVS XI. IN XII. REDIVIVVS

ORATIO

PRO INAVGVRATIONE

SANCTISS. DOM. N.

INNOCENTII XII.

PONT. OPT. MAX.

HABITA

IN APATHISTARUM ACADEMIA

A MARCO DE RVBEIS

Sacerd. Flor. S. T. D.

1061
4

FLORENTIÆ. MDCXCI.

Ex Typographia Petri Matini ſub Signo Leonis Aurei.

SUPERIORUM PERMISSU.

INNOCENTIO XII.
PONT. OPT. MAX.

MARCUS DE RUBEIS FEL.

HAUD ſanè dictu facilè eſt, BEATISSIME PATER; neque mihi fas ob eloquii politioris inopiam complecti verbis, quanto Chriſtianæ Reipublicæ gaudio Romæ Triumphorum in Patria triumphes. Tibi Chriſtianus Orbis quantus quantus eſt. candido plauſu Romanum cedit in Capitolium; tum quia Redivivus in Te Innocentius XI. eadem

amabili Nuncupatione coronet iterum Eccleſiæ Caput; tum quia victoriarum felix idem eventus Thraciam Lunam, quæ pro viribus admitebatur elabi, Pedibus Ejus magis magiſque ſubjiciat. Triumphas; & eum feſtiva Triumphorum licentia priſcum morem non proſcribit, qui rudes Linguas,& illiteratas voces plaudere minimè prohibet. Cauſas habes, BEATISSIME PATER, quæ meæ patrocinentur audaciæ. Majeſtatem cœteroquì Tuam,& Heroicas Virtutes ſtylo quovis auguſtiores ſilentio, ac religione veneraretur mei tenuitas ingenii; neque ulla vis infantiam meam adegiſſet, ut Orationem divinis Tuis meritis adeò diſparem intexere nimis impudens auderet. In Triumphis impar laudator eſt vulgus, quod Triumphantium Heroum merita non æquent plebejæ laudes. Hæ tamen non inſuaves accidunt auribus Triumphatorum; neque diſſimilibus prædicari dedignantur ingentes Animæ; magnorum quippè Virorum Fama celebritate careret, niſi obſcurioris quoque famæ teſtibus contenta eſſet. Solum Alexandrum, ut loquntur Hiſtoriæ, gravis momordit Invidia, quòd Achilli fortiſſimo Ævi ſui Homerum præconem Fortuna tribuiſſet. Mordeat Alexandros Livor, non mordet Innocentios. Etenim ille verè ſuis incrementis eſt major, quem ſublimitas parti honoris ad comitatem inclinat. Hac ego fretus fiducia in ulteriores auſus Tua provocor a Clementia, CLEMENTISSIME PASTOR; ut ſcilicet edam quæ garrulum gaudium nuper effudit. En eadem facilitate, qua linguis egenorum benignas aures accomodare di-

gna-

gnaris, benigniſſimis Tuis oculis repræſento vocem meam, qua Triumphis inclytis in Apathiſtarum Academia plauſum adornare ſum conatus; Academicorum nemo me indiſertior ſi labrum examines, ſi cor me nullus eloquentior. O ſi munus hoc exiguum quidem, ſed innocens, ut cœtera dona Pontificiæ Manus non horreant! Verum quæ ſonat vocabula vana ſuſpicio: *Exiguum*; & *horreant*? Nunquam mihi fortunatior obtingere poterat occaſio; undè majus & gratius Tibi munus offerrem, BEATISSIME PATER, qui Tibi dono Te Ipſum. Innocentium XI. animo complecteris, moribus exprimis, Vita repræſentas ut Nomine Majeſtatem, Perſonam, & Famam tueris, qua per Orbem clarus eſt Innocentius; Brevi, nihil Innocentio degener quum ſis, Parheliorum Solis ad Invidiam XI. in XII., XII. in XI. leges Innocentium. Præ manibus ſemper habes, & ob oculos tanquam Vitæ Tuæ ſpeculum Sanctiſſimam Innocentii Vitam. Proindè nihil addubitem; quin Orationis meæ plauſus qualis qualis fuerit Tuis oculis arrideat; & in ſpem potentiſſimi Patrocinii Tui vocet Oratorem. Vale.

 AP-

APPROBATIONES.

Admod. Rev. D. P. Sigismondus à S. Silvestro de Coccapanis Scol. Piar. complaceat perlegere exactè, & diligenter hanc præsentem Orationem Panegyricam, & recognoscat an adsit aliquod adversum S. Fidei Orthodoxæ, & moribus bonis absonum, & referat. Dat. 9. Octobris 1691.

Nicolaus de Castellanis Vic. Gen. Flor.

Illustrissime, ac Reverendissime Domine,

Duorum æquè optimorum Pontificum tua Virtutes attingit præsens Oratio, ut historica veritate ad perfectionis amorem mentes inflammet. Quare cum nihil contra Orthodoxam Fidem, bonosq; ie mores contineat, imprimi posse censeo. Apud Sanctum Marcum ad Riccios die 9. Octobris 1691.

Sigismundus à S. Silvestro C. R. Scholarum Piarum manu propria.

Attenta supradicta relatione Imprimatur.

Nicolaus de Castellanis Vic. Gen. Flor.

Admod. Rev. Pat. Mag. Baldi Ord. Præd. Consultor huius S. Officii legat attentè retroscriptam Orationem, & an aliquid repugnans S. Fidei Catholicæ, ac bonis moribus, referat. Datum in S. Off. hac die 10. Octobris 1691.

Fr. Ludovicus Petronius Min. Conv. Vic. Gen. S. Off. de Florentia.

Adm. Rev. Pater, &c.

Ut utriusque Innocentii P. O. M. per totum perpetuò eudeantur Orbem, Virtutes, Arctissimo fœdere summa cum Innocentia composita admirentur, [illegible] Auctor, hanc omnibus numeris absolutam Orationem, quæ [illegible] Catholicè, & eleganter pertransiit, & eleganter divulgat, evulgandam debere ingenuè fateor, hac die [illegible] Octobris 1691. in Conventu S. Mariæ Novellæ.

Ego F. Raphael Baldi, qui supra manu propria.

Attenta Attestatione supradicta Imprimatur.

Fr. Ludovicus Petronius Min. Conv. Vic. Gen. S. Off. Flor.

Robertus Pandolphinus.

ORA-

ORATIO.

INhumaniſſimus planè ſit, Auditores Sapientiſſimi, qui pro cuique, gratoque pectori nihil doloris indulgeat in ejus Obitum, cujus Vitam in omnes Chriſtianæ Reipublicæ Cives beneficia largè collata commendant. Locupletiſſimum grati teſtem amoris, & veræ Religionis interpretem quidni dixerim eum lacrimarum fontem, quo Beneficiorum memor Eccleſia deflet adhuc Innocentium hujus Nominis XI. Virum omnium ſeculorum profectò Sanctiſſimum. Deflet adhuc: neque ulla unquam Ætas par eſſe poſſit, quæ Chriſtianorum è ſinu radicitus evellat dolorem tam altè inſitum; quum nulla ratione valeant anni conſequentes immenſi Beneficii memoriam altiùs impreſſam obliterare. Verbo abſit invidia. Tuis Optime Maxime Innocenti debemus Excubiis; ſi mediis è Cædibus ſalvi ſumus & ſuperſtites. Tua Vigil, ſummaque Pietas in cauſa, ſi noſtras in Urbes, caſtiſſimas Sanctimoniæ cœleſtis Arces non deſævit fœdiſſima Barbarorum Impietas: neque Romæ quiſquam alius in præſenti triumphat, quam Roma. Cui enim dubium eſſe poteſt, quin ea Turcarum Diluvies univerſum Chriſtianorum Orbem inundatura fuiſſet, ſi Vjennam abſorpſiſſet, Innocentius Innocentius Cæſareo, fœderatoque non minus ferro, quam Divino armatus auxilio Copias adeò truces proſperè difflavit, & horrendam cladem, atque calamitatem à cervicibus noſtris felici Victoria longiùs averruncavit. Luctuoſum ſanè, ac ſupra omnem fidem luctuoſum, quod Innocentius Chriſtianæ rei Præſidium, ac Decus unicum, ævo longè ſeniore dignus ſuum obierit diem! Innocentium, proh dolor! Virtutum omnium Pontificem, atque omni ætate memorabilem Fata nobis rapuerunt. Proindè mirum minimè fuerit; ſi gentium ubique ſummum Sui deſiderium, magnumque gratis cordibus inſeverit dolorem. Quinetiam Ejus morte tantum Eccleſiæ

 vulnus

vulnus accepit, ut non niſi is, qui vulnus inflixerit, vulneri medicinam ſit faciendo. Niſi reviviſcat Innocentius, non video, quæ noſtri doloris inter tenebras lætioris fortunæ ſpes affulgeat, quin potius ſepulta cum Ipſo credi poſſint Eccleſiæ gaudia. Sed auguror, Auditores, nec vana fides. Ecquis prohibeat, quominus reviviſcat Innocentius? Si Mortis ad invidiam ſuperſtes in Filio Parens, non vivet Innocentius tot Purpuratis in Patribus, quos, quum Optimos ſibique ſimiles ad Purpuram eligere ſtuduerit, tot creavit Innocentios, quot Pontifice quovis fœcundior dixit Cardinales? Quid igitur ultrà, quam par eſt, è noſtris oculis luctus uber erumpis? Nondum mœror ingens æternùm exulat è noſtris animis? Adhuc mentes noſtræ querulis labris Innocentii fatalem horam lamentabuntur? A' lacrimis jam tandem aliquando temperet Chriſtiana Reſpublica, neque Chriſtianus Orbis ulteriùs tam impensè doleat jacturam cæteroqui luctuoſiſſimam. Neque vereor, ne quid de amore veſtro in Innocentium derogem, ſi ſuadeam, ut veſtrum corrigatis dolorem, animumque à mœrore revocetis ad gaudium. In plauſum in plauſum è luctu Cythara, flentium è voce, canentium in voces hilares Organa noſtra vertantur. Mutet mutet Eccleſia dolorem gaudio, & mœroris ſenſus omnis evaneſcat, non ſecus, ac ſereni Solis exortu noctis horror, & amæni Veris adventu ſquallor Hyemis. Alia rebus omnibus facies, & juventa quædam beneficio Solis & Veris exoritur & alius vultus Eccleſiæ ob Innocentii XII. recens ac felix Imperium. Siquidem re veriùs, quam nomine, quum Antonius Pignatellus exprimat Innocentium; INNOCENTIUS XI. eſt citrà dubium IN XII. REDIVIVUS. Opportunum meæ perbrevis Orationis Argumentum, neque Chriſtianis auribus, ut reor, ingratum & huic Academico Senatui gratulationis jucunda materies. Maximum hæc Apathiſtarum Academia Decus ex Antonio Pignatello apud Sereniſſimum Magnum Etruriæ Ducem Nuntio quondam ſuſcepit; quod & non raro fuerit frequens in hac eruditorum Capitum Panegyri; & Apathiſtæ Cognomen Nominis ſuo non ſit dedignatus inſerere. Majus dubio procul ex eodem omnium ſuffragiis Innocentiſſimo Pontifice ſuſcipit in præſentia. Et eſt, quod Apathiſtæ ſuperbiant, ſuum Academicum, Pontificem Innocentium, Innocentio defuncto vivere nihil abſimilem; hoc eſt, verè APATHISTAM. Jam verò, ſi meam conſcientiam interrogem, non ſum neſcius, Auditores humaniſſimi, quam tenuis ipſe facundiæ ſim, quam pauper ingenii. Non me latet è contrario, quod ingentibus plerumque verba non conveniunt, & Pontificiam Majeſtatem nulla implet Oratio. Nihilo tamen minus, quum in ejuſmodi negotiis voti magis, quam ingenii ratio verſetur, non metuo imparis famam; dum fugio nomen ingrati erga eum, ex quo in ſingulos Academicos fatis honoris emanat. Præterea

ad

ad verba facienda me ineluctabile Superioris Apathiſtæ coegit imperium. Me igitur oſtendat imparem hæc Oratio, gratum teſtabitur, & obſequentem.

INter præcipuas Imperatoris omnium Optimi Trajani laudes Plinius junior Oratorum eximius eam duxit potiſſimam, ſi de tanti Principis virtutibus ea duntaxàt eloqueretur, quæ de nullo alio Principe dici potuiſſe videri poſſint. Ingenioſiſſimo Panegyriſte Plinio tantò foret ingenioſior Orator neceſſarius in præſens, quanto celſior eſt Imperatore quovis Ethnico, Catholicoque Cæſare, Pontifex Catholicus. Qui igitur fieri poteſt, Auditores, ut ipſe Plinio longè impar tantundem laudis Innocentio XII. conciliem? Qua ratione mei tenuitas ingenii, quæ gemino Pontifici ſunt communia, ſic utrique propria veſtris auribus exhibeat; perinde ac ſi de uno tantum dicta videantur? Nihil enim egit Innocentius XI. Chriſtianæ rei bono, Famæque Dignitatis omnium Maximæ conducibile; quin eadem omninò præſtet ſapiens Ejus, ac Sanctus æmulator XII. Occidit Eccleſiæ Sol Odeſcalchus, ſuumque diem obiit omnis repræhenſionis fæce vacuum, omniq; vitiorum nube liberum. Occidit, & gloriæ luce ſerenus nuſquam non illuxit. Occidit, & occaſus inclyti ſerenitas ortum Solis ejuſdem æquè illuſtrem augur non vana præſagiit. Solem dicant ingenioſi Rhetores Aſtrorum Phænicem. Phænicem contrà Avium Solem appellent; & geminum hoc naturæ miraculum uno mentes eruditæ ſtupore proſequi nunquam deſinant; quum utrique pullulet ex Obitu Ortus æternus, Suo ſurgit in caſu Sol, ſuiſque de cineribus Phænix reviviſcit. Decantata Solis, ac Phænicis Emblemata iiſdem ferè verbis animant Ingenia. Soli *Semper idem* appingunt amæniores Calami; *Alius & idem* Phænici. An non alius & idem Innocentius XI. in XII.? An non ſemper idem vivus, & redivivus? Publicus Urbis, Orbiſque plauſus XII. Innocentium Nominis, ac Vitæ morumque XI. hæredem ſine fuco, & fallacia ſalutat XI. Nequè nobis turpem aſſentationis notam inuri patitur bonæ mentis, animique boni verax interpres, ac fidus index manus induſtria; hoc eſt, operum eadem omnino ſeries, rerumque præclarè geſtarum tenor idem. Eoſdem Palmarum faſces Chriſtianis Enſibus Eccleſia demetit ſub Innocentio XII. ac ſub XI. Cæſareas Urbes ab Innocentii fato Thracius terror, Hydræ Monſtri renaſcentis æmulus jam jam afflare cœperat; quippè nondum extincta penitus Barbarorum incendia, majore flamma poſt Innocentii Cineres reviviſcere teſtabantur Arces Ungarorum principes, quæ captivitatis jugum nuper excuſſerant, & iterum captivæ queruliis ſuſpiriis præpotiſſimam opem implorabant. Sed in XII. redivivus XI. Innocentius pari fermè violentia ruentem iterum cruentiſſimum hoſtem, eadem victrici manu rejicit, Romanumque Gregem à Turcarum injuriis, contemptuque

piuque Gentis impiæ Triumphator evellit; adeò ut Orbi Chriſtiano ſuccollando parem Pignatellum non Herculem Atlanti Odeſcalcho, ſucceſſiſſe dixerim, ſed alium & eundem Atlantem. Alexandro Militum inertiſſimo deſidiam nomini nimis indecorum exprobrat Alexander Macedo. Solertiam Innocentii commendabit ſolers Innocentius, cauſæque nihil eſt cur Innocentium inquiramus in Innocentio.

Reclament hic, ut lubet, Philoſophorum Placita; & ſpecioſius hæc à me quam veriùs dici Lycea contendant; quòd duplicis Formæ capax unicum ſubjectum eſſe mordicus negent. Non juro in verba Pythagoræ. Non ejus acquieſco ſomnus. Non aſſero ſaniori inhærens doctrinæ Animarum tranſmigrationem. Vulcani commentum è duplici metallo in amicorum ſymbolum, ut Plato teſtis, unicum ignis beneficio conflantis, multò magis horreo. Et tamen Orationis meæ Propoſitum falſitatis reum arguere nemo auſit, ubi meis à partibus ſtet Amor. Monſtroſus hic animorum Inſitor arcana vi ſic duos innectit immiſcetque, ut unus indè progerminet. Quæ res & ipſi Naturæ ſtuporem creat, & noſtris mentibus, oculiſque fidem. Animos utriuſque Innocentii inſevit Amor, animis Amorem mutuum Virtus. Amabat uterque in amico Capite ſtudia ſua, & quicquid agnoſcebant virtutibus ſuis proximum. Utrique Pontifici multò antè, quam ſumma Eccleſiæ Dignitas, ſumma vitæ Integritas Sanctiſſimum Innocentiæ vocamen comparavit. Optimam Animam quum uterque ſortitus fuerit, mutuo raptu Virtus in amorem trahit, & longè arctiori quam magnes ferrum, tam arcto nexu jungit amor, ut Alexandri Ferro Falx Mortis invideat. Gordianum Rex ille vinculum enſis ictu fortunato ſolvit, aditumque ſibi pervium aperuit ad Orientis Imperium: honeſtioris Amicitiæ nexus immortales nunquam eſt ſolvendo Mors, neque regnat in Amoris Regno Fatum inexorabile. *Fortior*, inquam, non *fortis ut Mors Dilectio*. Quapropter Aquilæ gentilis obtutu perſpicaci Odeſcalchus figens oculos in virtutum grande jubar, quod è Pignatello velut è fonte lucis inſtar Solis tot in Epiſcopalibus Provinciis, tot in Legationibus ubique Terrarum promanabat non minus in ſui gloriam immortalem, quam publicum in emolumentum, Meritorum Arbiter æquiſſimus Innocentius exhauſtas in egenos Opes; exantlatos in Apoſtolicæ Sedis Decus labores debito præmio ſemper indonatos, Oſtro Pedoque Romano penſavit, quòm ſimul ac fuit integrum, & Cardinalem non immeritò dixerit & olim in Petri Regia ſibi prædixerit Succeſſorem.

Vel à puero certatim exornarunt Antonium Pignatellum liberalia ſtudia & eximia Pietas. Virtus ipſa utriuſque Signaturæ, ut vocant, Referendarium, Pontificii Cubiculi Præfectum, Negotiis & Conſultationibus Epiſcoporum ac Regularum à Secretis renunciavit. Virtus ipſa

Sacri

Sacri Paſtoris Infulis Faventiæ, Alerii, Neapoli Caput Ejus impedivit. Virtus Gubernatorem Viterbium, Melitam Inquiſitorem, Florentiam, in Germaniam, in Poloniam miſit Apoſtolicum Nuntium, Prolegatum Urbinum, à Latere Legatum Bononiam. Debebat Roma glorioſum redirum coronare Purpura; ſed tardiores quandoque Virtus habet proceſſus; conſultèque fecit, ut intra merita honoris ſui hæreret, quò, tamquam è tenebris lux erumpit ſerenior, glorioſior ex obice neſcio quo Fortunæ Pignatellus aſſurgeret. Innocentii quippè judicio reſervabatur, ſub quo emeraſſe maximum fuit meritæ pretium. Et quum illi ſpectata morum Probitas, omnium actuum ſuorum comes Innocentia, meritis maturior Ætas, quàm annis ſuffragium tulerint ad debitos fructus, ad Pontificiam Celſitudinem Auſpice Innocentio, Virtute Duce, nullo ambitu tandem aliquando pervenit.

Annoſa Nobiliſſimæ Gentis Arbor quà ſacris, quà prophanis decorum Titulis ampliſſimis undequàque luxuriat: & velut honorificæ Poma Majores è Nidi, ut ajunt, Sede Nobiles oſtentat Archiepiſcopos Amalphitanos & Conſentinos: Montagnani Comites, Marchiones Lauri, Minerbini Principes, Montis Leonis Duces & Biſiciæ, utriuſque Palladis immortales Heroes. Splendor hic, & avitæ Familiæ Decora Pignatello negligentiam minimè crearunt. Non acquievit Antonius Claritudini Patrorum, quum eam auxerit factis & ulterius promoverit. Non per inertiam exiguo tempore decoxit, quicquid erat antè partum famæ & exiſtimationis. Jam eò Majeſtatis proceſſit Antonii Virtus Heroica, ut acceſſionis capax non ultrà ſit, quum Gentilitium Inſigne ob Vaticanas Infulas fecerit adorabile.

Vera me prædicare, nihilque fingere, Auditores, locupletiſſimo jam evincant teſtimonio, oculatæ teſtes celebriores Urbes Italiæ, Amænitatum Parens & Patria Neapolis, Florum Florentia, Prodigiorum Roma.

Obſtupuit Urbs illa Regnorum æmulatrix: Urbs Orbis totius deliciis affluens, ac veteris illius Horti terreſtris imago quædam vulgò credita Neapolis, ubi vidit Antonium Pignatellum natalium, & facultatum paternarum ſplendore primarium Civem ætate florentem ultrò ſenili conſilio divulſum è ſinu ſuo, Romanoque in Seminario bonis Artibus ac Pietate in uberes immarceſcibilis gloriæ fructus excolendum opportunè tranſlatum. Obſtupuit & noſtræ ætatis Herculem, noſtrorum temporum Ulyſſem, in dies magis ac magis ultra fabulam obſtupeſcit. Eliſit, ait, ſua vel in ſilentia facundior ſtupor Urbs, eliſit teneris planis glorioſè fugax puer deliciarum inſidioſos angues, neque paſſus eſt, ut animus ad omnia laudis exempla genitus ignavo torperet otio, aut rectam indolem prava licentioris juventutis conſilia diſtorquerent: aut ætas lubrica fœdos in lapſus præcipitem

tem ageret. Urbem tot venuſtatum illecebris undequaq; decoram fortè Venerem aliquam ſuſpicatus, quæ ſuæ ætatis in Bivio ad viam quò ſuaviorem hòc magis ingloriam pelliceret, Palladem ad Sapiens iter, tutamque viam invitantem Alcide fortunatior ſequutus, eos Romæ bonis in Literis, bonisque Moribus apud Soc. Jeſu Patres ex æquo probis, atquo doctos Pubis ingenuæ moderatores progreſſus habuit, ut Legationibus, aliiſque Romano dignis Præſule Muneribus Pontificum plurique præficerent Urbanus VIII. Innocentius X. Clemens X. Innocentius XI. Parthenope mea decantata Siren licèt innoxia, ut quæ tot Urbis amœnitatibus blandè quidem, ſed innocenter canora, amœniſſimis ſuis flexanimiſque cantibus triumphalem Ejus fugam retinere non valuit. Hinc varios hominum mores vidit & Urbes Ulyſſe prudentior; quod Ulyſſe maturiùs voluptatum Sirenes aure ſurda honeſti tenax cluſerit.

Quamobrem quod ornamentum laudis Melitæ Quæſitor, quod monumentum Gloriæ in Germania, in Polonia, quod alibi Nuntius honoris Inſigne Eccleſiæ nominique ſuo ob exornatam egregiè ſpartam ſuam compararit; Florentia formoſiſſima Florum Urbs, & Urbium non injuria Flos amœniſſimus, quò ſenior eò formoſior; quum ad elegantioris Architecturæ leges Ædificia divulſo ſenio paſſim repullulent, & Pulcritudinem tam alioqui fluxam longè firmiorem pollicentur; Florentia Neapolis teſtimonio nihil impar ob Cives Pietatis ac Literarum fama meritiſque celebres, ità ſubdit. Ex me ex me quivis abundè coniciat, quæ fuerit Ejus per tot Summos Pontifices, tot annorum ſpatiis cognita Prudentia, ſpectata Virtus, exercitatus labor. Etenim omnibus è Legationibus tantum reportavit publici deſiderii, quantum reliquit exempli. In uberiorem gloriam felices tendebat conatus, ut & ſibi ad celſiores honorum gradus januam panderet, & Romanum nomen claritudine adminiſtrationis illuminaret. Is fuit apud Magnum Etruriæ Ducem continuato novem annorum Munere Pontificius Orator Pignatellus, ut Ejus memoria nulla unquam temporis diuturnitate poſſit aboleri, quippè apud memores animos honeſta beneficia non pereunt. Adeò ſe ſe Principum noſtrorum in amorem Civiumque candidè prudens inſinuavit, ut quicquid Florentinorum poſceret utilitas, Pignatelli favor apud Sereniſſimos hos Cæſares non gravaretur impendere, & Beneficiorum impetratio multum in Ejus laudem, in Civium gratiam progrediebatur. Quo circà nihil priùs aut potiùs habuit, quam ut ſibi familiares, ſuoque dignos Patrocinio quoſvis efficeret, & ſua opera induſtriaque Florentinorum uſibus deſerviret. Facilis cuique patebat horis omnibus ad Eum aditus, exituſque pariter ab Ejus humanitate proſperrimus. Quod ſi negatidum aliquid videbatur aliquando, tanta quæ negaret vultus

& ver-

& verborum ſuavitate condiebat, ut repulſa inter beneficia numeraretur. Docta Apathiſtarum Univerſitas, & Pia Hippolyti Galantini ac D. Benedicti Sodalitia, in quibus alterna ſui præſentia frequens erat, Pietatem florentioribus annis cum Literis inſitam, maturioribus frugiferam cui gratæ recordationis encomio non deprædicant? Floret adhuc Florentiæ non elanguit ſingularis Ejus Modeſtiæ pudor, quem ne lubricus aſpici fœminarum, vultus magnetico faſcinaret obtutu, Sacris in Templis, non domeſticos intra parietes ad earum voces aures inclinavit. Hæc & horum ſimiles ingentis Animi dotes nonne longè latèque Nuntiis omnibus Ideam oſtentant Antonium Pignatellum? Quin potius, ut dicam quod res eſt, felici virtutum omine Apoſtolicum ejuſmodi Nuntium futurum olim Imperii Chriſtiani Sacrum Principem augurabamur.

Verum enim vero etſi Neapolis, & Florentia nihil communicantur, neque quicquam ſupra fidem effutiverint, nihilo tamen minus, quia non omnium oculis ſubjecta, & jam præterita recenſuerint, dubium ſuboriri poſſit, ne ſegnius nonnullorum animos itiuem, & fidei nonnihil vel ipſi veritati detrahant. In mutam oculorum potius, quam in vocalem aurium fidem mens humana pronior. Agite jam Auditores. Perniciſſima mentis ala mecum Romam uſque convolate.

Auguſtiſſimum hoc Caput Orbis Urbiumque Miraculum: Civitas hæc omnium excultrix, Laureata Terrarum ac Triumphorum Amazon, Virtutum Domicilium ac Templum; Pontificiæ Majeſtatis terrenum Cœlum, & Divinorum Oraculorum Regia nihil auribus ingerit, quod ſit oculis abſonum & præſentium fide facinorum remotioribus, vel leviſſimæ falſi ſuſpicionis notam omnem expungit. Cenſoribus, obſecro vos, oculis exploiate, quæ non adulatrix Roma ore libero ſuo de Paſtore Optimo Maximo pronunciet. Hinc luce meridiana clarius cuivis eſto liberum reputare, qui Faventiæ, qui Aletii, qui Neapoli commiſſi ſibi Gregis in quæque commoda Bonus Paſtor evigilaverit.

Tanta, ait Roma geſtiens, voluptate perfundor, ut mœſtitiæ prioris oblita præ gaudio vix me capiam. Doloris jam præteriti ob Innocentii XI. momentum fatale memoriam XII. Electio ſine controverſia cœleſtis antiquat. In fugam verſus eſt mœror omnis, nihilque Romæ triſte reſedit. Electionis impatiens Eccleſia in Pignatello fatetur expletum deſiderium ſuum. Uberiorem ipſi fructum longioris Conclavis mora præſtitit, & jucundam putat dilationem, quæ XI. in XII. reſtituit Innocentium. Innocentii Pontificatum elapſum quis non in præſenti unum eumdemque verius, quam geminatum eſſe mihi pernegaverit, ſi propius inſpiciat una eademque mente pravos corrigi mores, audaciam frangi, timorem legibus reddi, & exempli duntaxat

taxat impulſu urgeri duriores animos ad id, quod iteratæ leges non extorqueant? Quodnam Innocentu XI Facinus Heroicum non æmulatur XII ſi omnia Ejus jura defendit, & contra morem Ejus Vi alteæ mentis intelligit nihil licere. Infiniti planè foret operis, ſi percenſere velim omnia ſingillatim. Imitabor igitur eorum morem, qui terrarum ſitus adumbrant, & paucis in brevi quaſi tabella totam Ejus Imaginem amplectar. Adeò vitiis avaritiæ liber noſter Innocentius, ut non Eccleſiæ Theſauros, dixerim Ipſum profundere vel in egenos, ſed opulentæ ſuæ Domus Opes omnes deportare manus inopes; & quæ ex Evangelii præſcripto vendidit, pauperes gratis emere. Tantum abeſt, ut unquam non ſuum ſibi uſurpare audeat, qui manus ſuas, & Miniſtrorum non dicam ſolum turpi aliqua largitione intactas, ſed ab honeſtis etiam muneribus ſemper alienas habere velit, jubeatque. Auro, quod eſt ferro potentius, laudabiliter prodigus armat Imperatoris Aciem, ut hæc Triumphatrix univerſum Turcharum Imperium victoriis peragret. Auro pie miſericors fovet Jacobum Anglorum Regem, ut arduas ſiniſtræ Fortunæ vices æqua mente decoquat, ſuumque Regium in Solium demum redeat Hæreſis expugnator, & hoſtium glorioſior. Nihil ſibi Pignatellus. Omnia vult eſſe Populi Chriſtiani. O continentis Animi ſingulare ſpecimen! ſibi negare quod aliis deferatur, & lætitiam cæterorum propriis anteferre ſolatiis. Quæ ſunt tribuenda non differt, ſtatim publicum eſt, quod offertur. Nulli à paupertate diſcrimen. Leges antiquum robur obtinent, & ad ſalutem ſpectant omnia. Pari cura proſpectum videmus, ut res annonaria ſatietati urbanæ largior ingeratur. Proviſo ſulta ſubſidio non verebor meo famem in lumine. Mihi reſpondebunt opimæ ſegetes, mihi vindemiæ arridebit ubertas; propterea quod negaram meis laboribus mercedem à Debitoribus velint nolint ocyus exigam. Neque mirum id videri debet, quoniam bonorum temporum famam religiosè colit Antonius, & Sanctitas Sua penetralium, & aurium ſuaſum copiam, cuique facit. Procul tamen abſunt adulantium peſtes: nullus eſt æmulorum inſidiis locus. Solæ Miſerorum linguæ contemptum Legum, & Seculi non ſilent. Undè fit, ut auditis infelicium, vel in foro publico implorationibus, ratione & conſilio momenta rerum expendas, & in eam partem, quæ eſt Juri, & Miſerationi amica Pontifex ſimul juſtus ſimul pius moveatur. Naturà proclivis ad veniam, non proindè reos omnes impunes hinc ſperet effrons Improbitas; Improborum ſuppliciis in vitia legum ſeveritatem exercet. Nullum odii ſuaſu deprimit, nullum gratia blandiente ſublevat. Si quam alicui Dignitatem conferat, apud Innocentium Virtus unica ſuffragio eſt. Ad gradus honorum evehit, quos produnt merita, tegit verecundia publicæ utilitatis cupidos, ambitionis neſcios. Octogenario

pro-

propior Pignatellus. Quid tum præterea? An neſcitis imperare Caput non Annos? Quam benè ſuis humeris ſedet hoc genus Imperium! Deſit vigor ætatis; magnarum tamen cogitationum capax animus, & eluctandis quibuſcunque difficultatibus Superior, an non Munus hoc Pontificium cum Dignitate, & utilitate publica quam qui maximè ſuſtineat? Nullus nullus, opinor, fuerit; quin ex iis, quæ ſub ipſum Imperii ſui Auſpicium demiratur, colligat ut ex ungue Leonem, actutum fore, ut expectatione, quæ de Pignatello magna eſt, major habeatur. An non generoſis, & æternitate dignis conatibus incumbit, ut Chriſtiana res ſuis incrementis auguſtior in dies ſubinde creſcat in ampliorem Coronam? Speratum largioris Palmæ gaudium nobis ſubduxit Mortis invidia; quum rapuit Innocentium; ſed major Pignatelli Animo ineſt Conſtantia, quam hoſtibus vires. Infractam Animi ſui magnitudinem ingens Fortuna & gravis ætas non onerant. Sub Innocentio XII. morum candor, & Chriſtianæ Religionis Innocentia, nedum in Europa quidni refloreſcat in Aſia, ubi primi Parentis ob Pomi deguſtati ſcelus exaruit? Quidni propagetur in infideles oras Chriſti Principatus? Victorem hoſtem Chriſtianis è mœnibus depellit XII. Innocentius, non ſecus, ac totam virium Barbararum molem, è Viennæ finibus XI. Præſagit nobis animus, ac certa ſpe paſcitur futurum, ut perficiantur à ſimili Succeſſore interrupta fato opera bellorum, quæ ſuperiorum fortunam æmulentur. Non invitabit ad explendam Chriſtiano Sanguine ſuam inexplebilem Romanorum incuria, ſed in ultores gladios cura vigil impellet impias Turcarum Acies. En en iterum Chriſtianæ Genti Victoria perfamiliaris. En iterum in Capitolio Romano præfigitur erepti Vexilli principis ſpolium in Chriſtianæ virtutis immortale Trophæum. Triumphate triumphate Cæſarei Bellatores, Romani plaudite, trepidate Thraces, cedite perduelles, fremite Barbari. Aſia Aſia ipſa recentis Victoriæ Præmium mox eſt futura. Fulmineus jam Petri Gladius Chriſtianæ Libertatis vindex ex Aſia quondam Terreſtris Paradiſi Sede Othomannos impuriſſimos Adami Nepotes abiget, ſuiſque Scythicis horroribus occludet & Orientis amœniſſimam Regionem Divino Adamo Chriſto Jeſu, ſuiſque Capitibus amicis Cuſtos inſomnis pro virili tuitabitur, conſervabitque adverſus prophanæ potentiæ licentiam ſibi creditæ Sacroſanctam Eccleſiæ libertatem. Deus Deus nobis hæc otia fecit, & otia noſtra Pontificis ſollicitudo cuſtodiet.

Hæc & alia mille fœcunda Parens Eloquentiæ Roma quum eloquatur, & hiſtorico non oratorio colore depingat Innocentium XII. non rebus ipſis experimur Auditores, vera laude deſcribi quæ hunc? Non ejus ſermone ſubditur obtutibus noſtris ipſiſſima geſtorum facies? Non teſtantur oculi fideles fidem oris indubiam? Jam Romæ nihil

non

non ubiquè lætum ob Innocentium XI in XII Redivivum, Feſtivis acclamationibus plena ſunt omnia. Septicollis Urbium Regina ſuaviſſimæ gratulationis imagine jucunde perſonat. Ecce hic Literatorum Hominum concurſus Academicus, Pignatelli Academici ſui laudibus obſequiis non ejuſdem gratulationis in voces erumpet? Erumpet ſanè, quùm ſit is, qui cumulatiſſime poſſit magnitudinem gratulationis implere. Non deſides patietur linguas facundiſſima res cœteroqui lætitia, qua cuique veſtrum gliſcit, ut reor, animus. Oderunt hæc gaudia verborum parſimoniam. Orationis meæ defectum canora ſequetur ubertas, & inopis linguæ obſequium penſabit amœnioris ſtyli plauſus uberior. Siquidem acerrima veſtrorum ingeniorum acies longè plura in eo reperiet, quæ tacui; nulla tamen ex iis deeſſe glorior, quæ incufa veritate narravi.

Fateor me de geſtorum ſuorum cumulis majore voto quàm eloquentia fructum deguſtaſſe, ſed melioribus intacta relinquam. Vos hæc præ me copioſius & ornatiùs, Academici Sapientiſſimi, qui eſtis ad invidiam lingua feliciores & ingenio proſequemini. Unum hoc interea temporis omnium noſtrum eſto votum & ſumma votorum, ut uberes annos Innocentio XII precemur: ut ejuſmodi titulo longùm fruamur & æquet vitæ diuturnitate moram præmii ſui: ut Ejus exemplo ætas quæque lætetur in Chriſti Petrique Vicariis Redivivos Innocentios, Eja Pontificis noſtri diuturnas in ævum Arni Florentis Olores candidiore labro concinant, quam Auguſto Cæſari Romanæ Fidicen Lyræ, Lacnorum Pindarus Horatius.

Serus in Cœlum redeat, diuque
Lætus interſit Populo Quirini:
Neve te noſtris vitiis iniquum
Ocyor aura
Tollat: hic magnos potiùs triumphos,
Hic ames dici Pater atque Princeps:
Neu ſinas Thraces equitare inultos
Te Duce, Præſul.

Et quanquam Antonium Pignatellum eò Dignitatis humanæ Virtus evexerit, ultra quam nefas eſt ſperare mortali, habet tamen Chriſtianus Orbis, quod ulteriùs eximio Animo ſuo lætitiæ plenus exoptet. Quidnam Auditores? Ut æque ac Innocentius XI Sanctiſſimus etiam poſt funera dici mereatur, & quæ Antonium Pignatellum ad Vaticanum Faſtigium, eadem ad Cœlum Sanctitas evehat. Quam ob rem non ſum animi dubius; quià mea quondam plenius evincat Oratio; quod in INNOCENTII XI Famam omnem quà vivus, quà vita functus unus idemque ſucceſſerit XII.

DEO LAVS.

1061 4
2

49 455-40